Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1017
Quelle:
Copyright:



Excerpta ſunt ex *Iſidori Hiſpal. Synonymis* indicatis *Codd.* CCLXXI. et aliis.

X. *fol.* 106. *Sermo de nouo Sacerdote*, Collectanea praecipue e *Nicolao de Dünkelspühl*, et *Boethio*. Item Sylloge *Sententiarum* Moralium.

## CCLXXIX.

324 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 9. f. utpote initio et fine mulctatus, per duas columnas commode exaratus continet I. *Fl. Albini* ſeu *Alcuini Angli* literarum cum aliis in *Gallia* auſpice *Carolo M.* reſtauratoris *Librum de Vitiis et Virtutibus ad Widonem Comitem*, et quidem ab iis C. XXIII. *de Superbia* verbis: *ſuperbire cupit. Omnis quoque peccati inicium ſuperbia eſt* &c. Collatus cum Celſ. *Frobenii* edit. *Ratisp.* T. II. a p. 140. non habet ea, quae e variis *Codd. mſs.* depromta ibi uncinis incluſa leguntur; neque ea, quae ſub finem poſt verba: *perpetua coronabitur gloria*, ex *Caniſii Lect. antiq.* T. VI. editioni *Pariſ.* 1617. ab *Andr. Quercetano* adjecta ſunt, ſed horum loco laciniam quandam non bene cohaerentem, quae incipit: *Lapis etenim quadratus eque ſtat. quocunque uerſus fuerit* &c. quaeque in eam ſententiam inclinare poſſet, qua quibusdam viſum eſt, *Alcuinum* duos libellos ſeparatos, unum de *Vitiis*, alterum de *Virtutibus* dictaſſe, prout etiam *Codex Vatic.* exhibet, Laciniamque noſtram Praefationis inſtar *Secundo* praefixam fuiſſe, niſi aliter quatuor Virtutes ſuas in Opuſculo ipſo *Alcuinus* enumeraret, aliter in noſtra lacinia enumerarentur. Ibi ſic: *Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, Temperantia;* Hic vero: *Prudentia, Fortitudo, Continencia, Juſticia.* Laciniam itaque hanc ab alio quopiam adſutam arbitrer, licet ad calcem ejus legatur: *Explicit liber alcuini de uitiis et uirtutibus.*

II. *fol.* 3. p. 2. ſequitur Collectio quaedam inſcripta minio: *Incipit de Canonibus.* Similis eſt antiquis illis *Admonitionibus Synodalibus*, quales habes ante *Burchardi Decreta*, et in *Append. Actorum Vet.* ad *Reginonem* edit. *Baluz.* a p. 602. Sed ex abrupto incipere videtur, et ſat mendoſe ſcripta eſt. Initium: *Vt res aeccleſiae. nullus accipiat niſi ſacerdos. neque nullam rem de terra ſanctuaria et de euangelio. Qui fidem ſuam mentitur. excommunicetur usque quo peniteat. Qui coniugem dimiſerit. ſimiliter* &c. Decretis ejusmodi per unam et mediam *col.* nullo materiae nexu continuatis ſuccedit Rubrica: *Sermo in Synodo faciendus.* Nequaquam tamen *Sermo* ſequitur, ſed eodem, ut ante, tenore Decreta procurrunt. Ita ſcilicet: *Predicandum eſt Sacerdotibus ut aeccleſias ſuas ſemper nitidas cuſtodiant et mundas. nullumque animal in ea intrare ullo modo permittant. Nichilque aliut in eccleſia fiat. niſi oratio et officium diuinum. Placitum ullum ſeculare non*